



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apis Argvmentosa P. Georgij Schrötelij

Schrötel, Georg

Coloniæ Agrippinæ, 1633

Virga Moysis. a. Virga Iesse. b.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46515)

VIRGA MOYSIS.

247

SCALA IACOB.

Vide in Lauretanis: Ianua Cœli,
fol. 126.

ARCA TESTAMEN-
T I.

Vide in Lauretanis. Fœderis arca,
fol. 112.

SPECVLVM SINE MA-
CVLA.

Vide in Lauretanis: Speculum Iusti-
tiæ fol. 42.

VIRGA MOYSIS. *a*

VIRGA IESSE. *b*

Placuit non tantum has duas virgas
coniungere, quæ in Litanij sese
consequuntur, sed etiam aliarum
qua-

a Exod. 4. *b* Esai. II.

quarundam meminisse, quas ad hoc nostrum institutum in Scriptura & SS. Patribus reperio.

Mirabilia olim Deus per Moysen operaturus, inter alia ei dixit: *a Virgam hanc sume in manu tua in qua facturus es signa.* Cum ergo iussu Dei, populus ex Ægypto egressus esset, & Pharaon cum cum ingenti exercitu persequens, ad mare rubrum pene affecutus fuisset, dixit Dominus Moysi, *b Eleua Virgam tuam super mare, & diuide illud, vt gradientur filij Israel in medio mari per siccum.*

Cum verò nihilominus Pharaon, cum toto exercitu eos persequeretur, ait Dominus Moysi. *Extende manum tuam super mare, vt reuertantur aqua ad Ægyptios, super currus, & equites, eorum, &c.* Ergo gloriosè magnificatus est Dominus, equum, & ascensorem deiecit in mare, nec vnus super-
fuit ex eis.

Sicut ergo mare rubrum Virga Moysi percussum, sese aperuit, & liberum transi-

a Exod. 4. b Exod. 14.

transitum populo, vt hostem effugere, & ad terram promissionis expeditè transire posset ; ita Beatissima Virgo instar Virgæ Moysis procellosum mare huius Mundi diuisit, vt plurimi communem hostem effugere, & ad cœlestem patriam expeditè transire potuerint. Et quidem occasione maris rubri, ita S. Bonaventura meditatatur de nomine Mariæ, quod amarum mare sonat. *a* Illa enim, inquit, amarum mare fuit Diabolo, & Angelis eius per ipsam oppressis, & submersis, non secus ac Ægyptijs in mari rubro.

De hac Virga in hoc sensu plura videre licet apud Petrum Damianum sermone de Assumptione. Bernhardinus Senensis Tom. II. a. I. c. 3. Et S. Antoninus 4. part. tit. 15. c. 24. §. 4. Moyles etiã Virga sua petram percussit & aquas elicuit. *b* Ita hæc nostra Virga, Virgo inquam sanctissima plura lapidea peccatorum corda percussit, vt lacrymæ veræ pœnitentiæ vbertim manarent.

Moy-

a In spec. c. 3. *b* Exod. 17.

Moyſes Virgam ſuam in manu tenēs orauit, & vicit Amalechitas, dum Iofue contra illos pugnaret. *a* Ita nos in patrocinio B. Virginis vincimus hoſtes noſtros ſpirituales.

Cur Virgæ Jeſſe, hæc Virgo aſſimiletur, pulchrè SS. Patres declarant. S. Ambroſius ſuper illud Eſai. II. *Egredietur Virga de radice Jeſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini:* compendio rem dicit lib. I. de bened. Patr. c. 4. & lib. 2. de Spiritu S. c. 5. Radix, inquit, familia Iudæorum; Virga, Maria; Flos Mariæ Chriſtus.

S. Bonauentura alludens ad illud vaticinium Eſaiæ, *b* quomodo ſuper florem huius Virgæ requieſcat Spiritus Domini, ita ſcribit: *Quicumq; Spiritus Sancti gratiam adipiſci deſiderat, ipſe florem Spiritus Sancti in Virgine querat: Per Virgam enim ad florem, per florem ad Spiritum Sanctum in ipſo requieſcentem peruenimus, Per Mariam ad Chriſtum.*

a Ibid.

b In ſpec. B. V. cap. 6.

Christum accedimus, & per Christum gratiam Spiritus Sancti inuenimus.

Idem S. Bonaventura in eodem speculo, inquit: *b Si hunc florem habere desideras, Virgam floris precibus flectas: Si flos est nimis altus Diuinitate, Virga tamen est flexibilis pietate. Et si flos est rarissimus, quia in cælo, & in terra non inuenitur, nisi vnicus, est tamen communissimus, non in horto conclusus, sed in campo omnibus transeuntibus expositus. Et ideo bene dicere potest Christus illud: Ego flos campi. hac ille.*

VIRGA AARON.

Disiungi ab his duabus Virgis non potest Virga Aaron, quæ inter omnes alias aridas Virgas sola floruit, & fructum protulit. De hac ita S. Augustinus li. 2. ad catechum. c. 4. Et serm. de temp. Domin. 3. Aduentus. *Virga ecce protulit, inquit, quod ante non habuit, nec defossa sarculo, nec animata succo, nec fœcundata seminario: Et tamen cum illic deessent vniuersa iura natura, protulit Virga quod nec semine suggeri potuit, nec radice.*

S. Ber-

a cap. 10. b Num. 7.

S. Bernardus de eadem ita scribit; *a*
Nec Virga virorem floris ledit emissio, nec
Virginis pudorem sacri partus editio.

Petrus Damianus serm. de Assump-
 tione, ita etiam inter cœtera de hac Vir-
 ga nostra piè ratiocinatur, & tandem
 ait; *In Virgine Virga, & baculo cruce, mise-*
rorum spes, & consolatio continetur, sicut
sublimis Prophetâ clara voce declarat, Virga,
inquit, tua, & baculus tuus, ipsa me consolata
sunt.

Consolationem sensit Dauid in illo
 Psalmo, quod à Deo tanquam à Pasto-
 re deduceretur ad pascua, & dirigeretur
 tam paternè, & vbi necesse esset, etiam
 puniret si malè ambularet. De illa proui-
 dentia Dei singulari erga Ioseph, vide
 quid fratribus ipsemet testetur Ioseph,
 qui fratribus dixit; *c Non vestro consilio sed*
Dei voluntate huc missus sum. Signum au-
 tem Dei amoris est, non permittere ab-
 errare nimium suos: *quem enim diligit*
 Domi-

a Serm. 2. super Mius. b Psal. 22.

c Gen. 45. & c, 50.

Dominus, castigat, & flagellat omnem filium quem recipit. Heb. 12. Ita Beatissima Virgo, vt aliquos à via iustitiæ aberrantes reduceret, morbos, & varios aduersos casus impetrauit, quibus exerciti tandem agnouerunt, & redierunt percutientes pectora sua.

Est ergo Beatissima hæc Patrona nostra Virga Consolationis, & Virga directionis, quæ non patitur suos aberrare. *a Est virga virtutis quam emisit Dominus ex Syon, b contra demones, vt S. Bonauentura interpretatur, & contra hostes Ecclesiæ, quæ percussit & interemit cunctas hæreses, vt canit Ecclesia.*

a Psal. 44. b Psal. 109.

PIÆ CONSIDERATIONES.

¶

Virgam hæc sume in manum tuam,
 ô cultor B. Virginis, in qua facies
 signa.

figna. *a* Si te premat hostis, & ad angusti-
as redigat, hac percutite aquas tribulatio-
num, & viam dabunt, vt sicco pede fu-
rorem hostis possis euadere.

2.

Vbi contra hostes pugnandum est,
montem ad orandum conscende, & ma-
gna cum fiducia hanc Virgam gloriosè
ad cœlum extende, *b* in hac vinces. Voca
Mariam. hæc Virga vigilans est, hostes
terret, sternit. *c*

3.

Si exaruit tanquam testa cor tuum,
imo si in petram indurescat, vt nec veræ
deuotionis, aut spiritualis consolationis,
aut doloris de peccatis guttam vllã stilla-
re possit, confide, hæc Virgo cor Magda-
lenæ percussit, & oculi eius exitus aqua-
rum deduxerūt, quibus dulcis Magistri
pedes vbertim rigare potuit. Mollescet
enim cor tuum hac Virga tactum, erum-
pent lacrymarum riuuli, quibus & noxas
cluere, & sitim collium æternorum se-
dare possis.

4. Hac

a Exod. 4. *b* Item 17. *c* Hier. 1.

4.

Hac Virga vtere tanquam baculo peregrinationis tuæ, in hoc Iordanem miseriarum huius Mundi securè transfirmabis gressus tuos, & in eo, ex itinere fessus, & anhelans, suauiter subinde conquiesces: transilies fossas, & varias itineris difficultates superabis: allatrantem terrebis & percuties illum Erebi canem, hostem fugabis. *a Non est hic baculus arundineus, qui confractus manum tuam perforet, securè in hac Virga confidere poteris, apparuit arida, viruit tamen, floruit, & fructus protulit. b*

5.

Hic baculus erit senectutis tuæ. Tu in hac Virga colenda consenesce, nec dubita de solatio, genua labantia firmabit in via mandatorum Dei, vires instaurabit: hac Virga nixus, & firmiter stabis, & securè ambulabis, ad metam tibi præfixam.

M

ORA-

a Esa. 36. b 4. Reg. 18.

ORATIO.

O Benedicta Virga, in qua Deus tam mirabilia operatus est, quæ totus orbis stupet. Olim Patriarcha Iacob adorauit fastigium Virgæ, filij sui Ioseph, dominantis in Ægypto: *a* Esther summitatem Virgæ aureæ Regis Assueri humillimè osculata est: *b* Quin ergo & ego, intimo cordis mei affectu, hanc benedictam Virgam reuerenter exosculor, colo, & amplector. Ah dirige, ô Virga directionis gressus meos, in semita mandatorum Dei, & me ouiculam tuam sicubi aberro, corrige, & in rectam viam redire coge; deduc me ad salutaria pascua. Virga vigilans es, increpa, acclama, de periculo mone. Virga Virtutis es ex Syon missa, lupum arce, sterne. In via peregrinationis meæ esto mihi in aduersitate præsidium, in lubrico baculus, quo genua labantia firmem, gressus constanter figam, fessus respirem

Ad

a Heb. II. *b* Esth. 5.

Ad terram promissionis mihi pen-
 dum, obstat mare tribulationum, ^eost is
 instat, vrget, vestigia premit; extende
 potentem manum tuam, O Regina Cœ-
 li percute hoc mare, dissipentur aquæ, vt
 sicco pede transeam, hostis furorem ef-
 fugiam, & in terra lacte, & melle manā-
 te, mihi cœlitus promissa, gloriosè De-
 um magnificare possim. Quæ in cœlis
 coronata triumphas in omnem æterni-
 tatem, Amen.

LILIVM INTER SPINAS.

Vide in Lauretanis: Rosa mystica.
 fol. 71.

R. V. B. V. S. A. R. D. E. N. S. I. N. C. O. M. B. V. S. T. V. S. a

Non sum nescius, rubum ardentē,
 sicut & plures alias Figuras S.
 cripturæ, & vaticinia, quæ in L. ra

M 2

nij.

a Exod. 3.

is tā
 otus
 a la-
 j sui
 E-
 legis
 Quin
 ctu,
 enter
 diri-
 eos,
 oui-
 e, &
 c me
 s, in-
 Virga
 arce,
 esto
 ubri-
 nem,
 irem
 Ad